

Nolo igitur, ut vulgo fieri amat, hac mea epistola  
Tuas depraedicare laudes, aut Tuam ad quamvis vir-  
tutem animi propensionem multis commemorare.  
Potius testimonium animi mei proditurus, de hoc  
eruditionis Tuae edito specimine gratulor, insi-  
mulque prospera quaeuis atque secunda animitus  
Tibi apprecor. Faxit Summum Numen, ut quam  
Tibi proposuisti metam, propediem consequaris, Tuae-  
que eruditionis fructus capias quantocius dulcissimos.  
Seruet Te Diuina Clementia seros per annos, seruet  
et Summe Reuerendum Parentem Tuum, nec non  
Senem Venerabilem, Dominum Besserum, Auum  
Tibi Colendissimum, Viros de grauissimis, quibus  
funguntur, muneribus longe meritissimos. Seruet eos  
Ecclesiae, seruet Reipublicae Litterariae, seruet denique  
Tibi in perpetuum Tui emolumentum, et totius splen-  
didissimae familiae decus. Tu vero, Respondens do-  
ctissime, vale, meque ut hactenus, quouis amoris at-  
que beneuolentiae genere prosequi non intermitte.  
Dab. Lipsiae VI. Kal. Mart. cIo Io ccxxix.